alia hujus generis portentosa sunt nomina, appellaremus.
Sed abeat, insto, et in malam rem, in malam crucem
abeat pestilentissima assentatorum et adulatorum secta:
inculpatos inculpata PRINCIPIS nostri vita postulat
praecones; praesertim, ubi ad unum omnes novimus SER.
nostrum esse PIISSIMUM.

Certe, si ea fini Principes, Reges, et ceteri Monarchae
terrarum Imperia ferunt, et ex alto sublimique solio
populis jura dictitant, ut Vicarii quidem in terris sint Dei:
recte ipsi quoque Pietatis ardore accensi ad illum Regem Re-
gum rursus sese attollunt, et quantum possunt in terris curam Re-
ligionis honorem ejus procurent. Quo quidem Pietatis ardore
ac Zelo ita Principem nostrum inflammatum et penitus
esse dico, ut una Pietatis in animo ejus cura, ceteras cete-
ras aut postponat, aut penitus amoveat omnino. Vah! Quam
magna in illo in sacras literas propensio? Is quippe a-
deo afflictim atque assidue sacris Bibliis insudavit semper
et adhuc insudat perlegendis, ut posteritas, (si quae fu-
tura) habeat, quod miraretur, aliquid, quod imitaretur.
Quas et curas S. N. circa emendatissimam Bibliorum Ger-
manicorum editionem impendit! et quantopere circa idem
adhuc negotium laborat! quam exacte cujusvis ferme
dicti historiae biblicae callet sedem! quam accurate ipse-
met Editiones contulit discrepantes, imo et propria ma-
nu variantes consignavit lectiones! Quo et olim ipse
ardore, antequam moles teneris incumberet regiminis, E-
braeorum fontium peritiam fuit sectatus! Quam indefesse
suam cum S. Hieronymo audivit informatorem, non Judaeum
sed Christianum! Nolo dicere, quod dei gratia, singularem in
Religione Evangelica profitenda eone ac promovendi ze-
lum Deum, adjecerit ut terrae ac terras alias,